Legis mysteria deriderent. (quanquam qua ratione
venisse dicam?) neque cum creaturam eripere creatori ag-
gressi pravi ipsi donum pravum pessimo [harum rerum authori]
offerrent; decebat eos, (etiamsi nihil horum,) neque etiam
Prophetis injurias facerent, (quanquam in tantum haec
omnia sint absurda,) sed quoniam suum ipsorum corpus
malum atque ex mala creatione ortum dicunt, protinus
se abscondere. (sed quo tenebrarum?) ac quaerere, si quid foret
inferno profundius. Non quasi hoc reliquit dicere illis ad im-
pietatem gravius foret; sed quoniam, dum impiam hanc
vocem mittunt, atque ex creatione deo optimo adversa ac-
cepisse hoc, quo ea proferunt, membrum fatentur, non prorsus
projiciunt omnia, impietatemque fugiunt, quum membrū
impium se adhibere ad clamorem sentiant, ~~quo~~ sicut eo, cum haec
dicunt, abutuntur. Verum ibi adhuc audent sub hominum con-
spectum venire. Quid ~~lego~~ ais, mi homo? Geminane sunt
membra? At os hoc ~~per~~ mali imperio subjectum prorsus.
Ita est ab adversario principio, et quod repugnat Gratiae?
Sed et ~~hic~~ hoc pravitatis istud instrumentum edit. Pro-
phetae sunt ex deteriori factione? Ex eodem malitiae recepta-
culo etiam hoc effunditur. Corpus malum est, et ex mala
creatione originem trahit? Et quid non taces tandem?
Sed adhuc loqueris, ac tantum tribuis ei, qui pessima te et abo-
minanda ratione ~~implet~~ excitat, ut nihil prorsus salubre
dicere, nihil temulentia atque mendacio liberum possis.
Ille enim pravitatis thesaurus ut nihil nisi pravum atque
errore plenum accipit, ita neque suppeditare potest.
Impostoris lingua qua ratione vera dicere queat? Ma-
litia